



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DOMINAE NOSTRAE LIBANENSIS**  
**IN CIVITATE ANGELORUM IN CALIFORNIA**\*NOVA CONSTITUITUR EPARCHIA PRO FIDELIBUS  
RITUS ANTIOCHENI

MARONITARUM TITULO DOMINAE NOSTRAE LIBANENSIS IN CIVITATE  
ANGELORUM IN CALIFORNIA, ET EA SANCTAE SEDI IMMEDIATE SUBICITR

Omnium catholicorum rituum communitates ob oculos usque versantur, de quibus haud parum sollicitamur, ut floridiorem statum consequantur iisque prosperrima salus contingat.

Quapropter cum Maronitarum in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis fidelibus aptius consuleretur, aliam Eparchiam condere censuimus, preces etiam exaudientes Nobis fidenter admotas.

Itaque, sententia audita Patriarchae Antiocheni Maronitarum cum eius Synodo necnon Coetus Episcoporum illius Nationis quam supra memoravimus, consentiente pariter ibidem Pronuntio Apostolico, scilicet Venerabili Fratrem Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titulo Amiternino, haec quae sequuntur statuimus et decernimus Apostolica Nostra suffulti auctoritate.

Eparchiam constituimus quae complectetur fideles has Foederatas Civitates in praesentia incolentes, scilicet Ohio, W. Virginia, Illinois, Alabama, Michigan, Minnesota, Missouri, Texas, Utah, Arizona, Nevada, Oregon, California, Alaska, Hawaii, Indiana, Kentucky, Tennessee, Mississippi, Wisconsin, Iowa, Arkansas, Louisiana, North Dakota, South Dakota, Kansas, Oklahoma, Nebraska, Montana, Wyoming, Colorado, New Mexico, Idaho et Washington.

Quam Eparchiam ab altera Sancti Maronis Brooklynensis separamus illaque proinde titulum obtinebit « Dominae Nostrae Libanensis in civitate Angelorum in California ».

Ad haec tandem perficienda consuetudines iuraque congrua serventur et quae a Codice Orientali praecipuntur. Nihil quibusvis rebus minime officientibus. Communitates demum hae respicientes

antiquissima suorum annalium monumenta et documenta exoptamus fore ut animosam voluntatem roborent ad proposita renovanda et patrum pietatem confirmandam.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum die duodecimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

|   |  |
|---|--|
| ANGELUS card. SODANO<br><i>Secretarius Status</i> | ACHILLES card. SILVESTRINI<br><i>Congr. pro Ecclesiis Orient. Praef.</i> |
|---|--|

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 7, pp. 551-552

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana